


C O M I T A T V S
N A S S O V I A .



*Nominis
vario.*

Limites.

*Potestas
summa.*

*Regionis
facies.*

Nassoviorum (ô salutare Belgis nomen) patriam vides, ex qua Duces prodiereliberatis nostræ vindices, assertoresque strenuissimi. Dicta est *Nassovia*, quasi *Nassgavia*, quæ vox humidam & uliginosam regionem significat. Oppidum enim, quod ditioni nomen dedit, in colle est situm, cincto undique humidis campis. Germanis autem *Nass* humidum, *gaw* & *aw* ditionem significat. Sic *Bat-aw* Batavorum terram notat, *Thur-gaw*, regionem aridam, *Rhenanam*, *Rhyn-gaw*, laudatam, *Brif-gaw*, honorandam, *Ar-gaw*, orientalem & occidentalem, *Ostergaw*, & *Westergaw*, sceno abundantem, *Hengaw*. Habet autem Comitatus iste plures alios sibi annexos, *Weilburgensem*, *Idesteinensem*, *Wiesbadensem*, *Dietzensem*, *Cattimelibocensem*, *Beilstenensem*. Comites vero *Nassovii* *Dilleburgenses* terminantur *Austrum* versus *Comitatu Wiesbadensi* & *Idesteinitio*: ad ortum *Isenburgico* & *Solmensi* cum *Hassia*: septentrionem versus *Westfalia* & *Comitatu Witgensteinio*: ad occasum *Ducatu Bergensi* & *Comitatibus Widdano* & *Seynensi*. Ambactus sive *Præfecturas* habet multas, *Freudebergensem*, *Sigenensem*, *Nephensem*, *Ferndorfensem*, *Hilchenbacensem*, *Hageranam*, *Ebersbacensem*, *Dillenburgensem*, *Dringenslainensem*, *Herbornensem*, *Drindorfensem*, *Libenschidanam*, *Beilstenensem*, *Longergensem*, *Eurichenhaynensem*, *Burbacensem*, *Marenburgensem*, *Rotsenhainensem*, *Rennerodanam*, *Heenensem*, *Dernereitanam*, *Hohnstettensem*, *Flachtensem*, *Ditzensem*, *Frickofianam*, *Zeutzheimensem*, & alias complures. Censentur autem *Comitatus* isti inter liberrimos *Imperii*, utpote, cujus domini nulli addicti, nisi soli *Imperatori*, fruantur *regalibus* præminentibus, & *prærogativis* omnibus, quibus præcipui alii in *Imperio* frui solent. Ius quoque habent *cutendi* *monetam auream*, *argenteam*, *æneam*, quod & factum à *Iohanne Comite Nassovico*, liquet ex *nummis aureis*, qui adhuc in *hominum* manibus versantur. In eorum parte una legitur, *Moneta Seigen*: in altera, *Iohannes Comes de Nassaw*. *Cattimelibocensis* *Comitatus* fructum percipit *Hassia* *Lantgravius*, titulo etiam ipsi cum *Nassoviis* communi, ex quo anno 1557, *Philippus Hessorum Princeps* cum *Nassovia* *Comite* transfegit, adnumeratis ipsi *sexcentis aureorum millibus*, cedensque *Comitatu Diezensi*: manentibus interea *titulis* *communibus*. *Regio* alibi in *planitiem* extenditur, alibi in *colles* adsurgit; alibi *silvis* horret, alibi *vitibus læta*, ut in *Comitatu Dietzensi* & ad *ri-*
Germania.

pam Lani; alibi *pratis*, *pascuisque amœna* est, aut *fertilis segete*, *olere*, *legumine*. Habet vero & *fodinas metallorum* haud *ignobiles*. In *territorio* quippe *Sigenensi* ex *lapide ferrea* quædam *massa* eliquatur, ex qua postea *fornaces*, *ollæ*, *tubi*, *incudes*, *globi* conflantur. In *oppido* vero & *circumjacentibus pagis* omnis generis *instrumenta ferrea* cuduntur. *Freudenbergæ* *chalybs* præparatur *optimæ notæ*, qui postea per *universam Germaniam* distrahitur. Sunt & *similes fodinæ officinæque* in *tractu Dillenburgico*, *Hagerano*, *Burbacensi*: in quo & *plumbum* eruitur, & *cuprum*, sicut etiam in *agro Ebersbacensi*, qui & *vitriariam officinam* habet. *Silva præcipua* est *Westerwaldt*, *Hercinix* pars: *minores*, & *veluti prioris illius segmenta*, *Kalteych*, *Heygerstruth*, *Schelderwalt*, *die Horre*, *der Calmberg*, in quibus ad *venationem ferarum* copia est *ingens*. *Amnes* præcipui sunt *Lanus*, *Siga*, & *Dilla*, qui *singuli oppida* alluunt non *inamœna*. Ad *Sigam* est *Sigena*, ad *Dillam* *Heigera*, *Dillenburgum*, *Herborna*. Ad *Lanum* *Dietza*, *Nassovium*, *Lohnsteinium*, ubi *Lanus Rheno* miscetur. *Thermæ Emsanæ* *Comitibus Nassoviis* *Dillenburgicis* *communes* sunt cum *Lantgravio Hassiæ*. Eas ob *occultam vim aquarum* etiam *longe diffiti* adeunt, & *experiuntur* ut *plurimum salutare*. *Aciduli fontes* sunt *Kodingæ* & *Cambergæ*, quorum aquæ *haustæ calculum pellere* creduntur. *Herbornæ Schola* est *illustris*, *fundata à Iohanne Comite Nassovico*, anno 1589, quæ post *decennium* *translata* est *Sigenam*, ad quam *tanquam ad virtutis omnisque eruditionis mercatum* confluent ex *Germania*, *Polonia*, *Livonia*, *Dania*, aliisque locis, *permulti studiosi*. Non est *incelebris* neque *obscura* eius *fama*. *Imprimis* commendat *regionem istam* *genius civium* ad *virtutem*, *constantiam*, *fortitudinem*, *tolerantiam*, *parimoniam*, *liberalitatem*, *prudentiam*, *justitiam factorum*. *Statim à crepundiis* imbuuntur *pietatis semine*. *Exercentur* etiam ad *labores*: *mentiri*, *fidem fallere*, *pro immani scelere* habentur. *Hinc illa dictorum factorumque constantia*. *Nobilitas Nassovica* *imprimis libertatis amans*, ac non *suæ tantum*, sed *alienæ quoque* *propugnatrix* est. *Hæc Adolphum Nassovium* olim, licet *infelici fato*, *Imperatorem* dedit. *Hæc Belgis* sub *duro Hispanorum imperio*, dedit *Guilielmum*, postea *Auransiorum Principem*: inde *Mauritium*; & *Fredericum Henricum*, jam *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, & c. *Gubernatorem*, *principes pietate*, *prudencia*, *militari arte* *claros*, *omnique prædicatione majores*, qui *domi forisque* *tot continuis annis Hispaniæ restiterunt*, *vires* ejus *acciderunt*, & *orientem prius*, *mox & occidentem* *armis terruerunt*.